



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Fvldensivm Antiquitatvm Libri III.**

**Brouwer, Christoph**

**Antverpiæ, 1612**

Cap. IX. S. Sturmij canonizatio & eius promulgatio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39712**

## CAPVT IX.

*Approbatio sanctitatis B. Sturmij, seu Canonizatio,  
facta ab Innocentio II. in Concil. Lateran. Uni-  
uersali, quod Roma celebratum anno salutis  
MCXXXIX.*

**I**NNOCENTIVS seruus seruorum Dei dilecto filio Chuonrado Ab-  
bati, & monachis Fuldenſis monaſterij, ſalutem & Apoſtolicam be-  
nedictionem. Dignum valde eſt, & omni laude digniſſimum, vt quos  
Rex regum, & Dominus dominantium honorare dignatur; eiſdem ab  
hominibus deuota reuerentia impendatur. Nos igitur, audita vita lau-  
dabili B. Sturmij Confeſſoris, cognitis etiam ex parte miraculis, que  
per eius merita Dominus operatur, atteſtatione fratrum noſtrorum,  
qui de partibus Teutonicis aduenerant, in plenaria Synodo, que apud  
Lateranum eſt, per Dei gratiam, congregata, communicato conſilio Pa-  
triarcharum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum atque Abbatum, eum-  
dem beatum virum inter Sanctos & electos honorari precepimus:  
& diem deſiſtionis eius cum gaudio ſollempniter celebrari. Veſtra  
itaque filij chariſſimi, intereſt, ita eiſdem Confeſſoris obſequiis ad ho-  
norem Dei Omnipotentis addictos exiſtere, ita matris noſtre ſancte  
Romane Eccleſie decreta veneranda ſeruare, vt locus veſter tam  
apud Deum, quam apud homines, laudem & gloriam mereatur, &  
veſtra deuotio eterne vite premia aſſequatur. Data Laterani XIII.  
Kalend. Maij.

Promulgatio Canonizationis S. Sturmij facta ſeris poſt an-  
nis, per Epiſcopum Herbipolenſem, cum largitione Indulgen-  
tiarum.

IOANNES Dei & Apoſtolica ſedis gratia Epiſcopus Herbipoleſis,  
dilectis nobis in Chriſto filiis in Fulda, Huneſeldt, Raſdorff, Salmun-  
ſter, Borſla, Hamelburg, Bruckena, Geysa, Vache, Lengefeldt, Salt-  
zungen, Herbſtein, Luternbach & Slitz, nec non & aliis per diſtri-  
ctum & iuriſdictionem monaſterij & archidiaconatus Fuldenſis,  
Plebanis & Viceplebanis, ceteriſque clericis ac oppidanis, incolis op-  
pidi Fuldenſis, ceteriſque vtriuſque ſexus hominibus, in oppidis, locis



& villis, dominio temporali monasterij Fuldenfis Ordinis S. Benedi-  
 cti nostræ diœcesi subiectis, commorantibus, salutem in Domino sem-  
 piternam. Ad ea, per quæ diuinus nostris diebus augmentetur cul-  
 tus, peruigili curâ, sollicitaque meditatione, quantum honestum, de-  
 cens, & congruum est, libenter intendimus, eisdemque nostrum fauo-  
 rem, auxilium & auctoritatem libenter impertimur. Quoniam Domi-  
 num nostrum Iesum Christum in Sanctis suis laudare, testante Psal-  
 mistâ, iubemur, Psalmo ultimo, Laudate Dominum de cælis. &  
 Gloriosus Deus in sanctis suis; & in maiestate mirabilis; cuius  
 ineffabilis altitudo providentiæ nullis inclusa limitibus, nullis terminis  
 comprehensa, reëti iudicij censurâ, caelestia pariter & terrestria ordi-  
 nat & disponit. Qui Deus, etsi cunctos eius ministros magnificat, al-  
 tisque decorat honoribus, & caelestis efficit beatitudinis possessores; il-  
 los tamen, vt dignis digna rependat, potioribus attollit insignis digni-  
 tatum, & præmiorum vberiori prosequitur retributione, quos di-  
 gniores agnoscit, & commendat ingentior excellentia meritorum. Sicq.  
 alma mater Ecclesia, eius sacra vestigia insequens, & exemplo ducta  
 laudabili, licet vniuersos in regno caelesti constitutos studiis honorare  
 sollicitis, & sonoris efferre præconiis non desistat, gloriosissimos tamen  
 Apostolos, Euangelistas & Confessores fidei principes & athletas  
 Dei electos, qui viuentes in carne, ipsam Ecclesiam sublimiter suis  
 sanctissimis disciplinis erexerunt & illustrarunt, ipsamque suis mo-  
 ribus & virtutibus, veluti lucernæ super candelabrum in domo Do-  
 mini positæ, errorum tenebris profligatis, decorauerunt, ac ipsorum de-  
 coris sermonibus & actibus, ampla ipsius Catholica Ecclesia fabrica,  
 velut gemmis vernantibus rutilat, & gloriosius illuminata coruscat,  
 & tamquam sidus irradiat, summis attollere vocibus, & laudibus  
 personare præcipuis, & specialibus disponit honoribus venerari. Se-  
 dis Apostolica etiam circumspecta providentia, quæ actibus intenta  
 salubribus, & operibus exposita pietatis, libenter & sollerter exe-  
 quitur, dignè præmissa considerans, & debitâ meditatione perlu-  
 strans, ad diuini nominis honorem, gloriam, & exaltationem Catho-  
 lica fidei, animarum fidelium salutem, eosdem in Ecclesiâ vniuersa-  
 li honorificentie potioris impendit iudicauit attollendos, vt ab eâ tan-  
 to propensius honorari se sentiant, quanto ipsam præ ceteris extollen-  
 tius illustrarunt. Verum, quia olim felicitis recordationis sanctissimus  
 in Christo Pater Innocentius Papa secundus, auditis laudabili vitâ,  
 virtu-

Brow  
 Antic  
 Fuld  
 ST  
 9



virtutibus, & meritis multifariis, quibus B. Sturmus Abbas monasterij prædicti Fuldenfis variè redimitus & exornatus; quique pluræ opera sancta, in Dei Ecclesiâ, & præsertim Fuldenfi monasterio, & circumiacentibus terris, perfecit, & de omnibus prædictis informatione, sub attestatione fide dignorum receptâ, in Synodo plenariâ Romæ apud Ecclesiam Lateranensem celebratâ, fretus de super consilio Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum & Abbatum, eundem beatum virum inter Sanctos & electos Dei honorari, atque diem sui obitus XVII. \* Decembris, ipso die S. Ignatij Episcopi & martyris, cum gaudio sollenniter, ob Omnipotentis Dei & sanctæ matris Ecclesiæ honorem, per suam bullam celebrari & festuari præcepit, quam nos sanam, integram, non vitiatam, non cancellatam, sed omni prorsus vitio carentem vidimus, & in nostris manibus habuimus, cuius tenor de verbo ad verbum sequitur, & est talis: Innocentius, &c. vt suprâ. Nos igitur piis ducti consiliis, dignisque studiis, motibus & rationibus excitati atque moti, dignum, decens, & congruum valdè esse iudicantes, vt, quos Rex regum, Dominus dominantium, honorare dignatur, eisdem ab hominibus deuota reuerentia merito in hac valle impendatur; & præcipuè in mente reuoluentes, quòd in Ecclesiâ & monasterio Fuldenfi prædictis, dies obitus præfati beati viri Sturmis sub duplici officio celebratur, festiuatur & veneratur, & membra à capite, & subiectos à superioribus suis, non liceat neque honestum sit discrepare & discedere; imò in his, quæ sancta & honesta, & pro salute animarum per sanctos patres edita, piè noscuntur, debeant & teneantur sequi & se conformare; vos omnes & singulos tamquam fidei Christianæ zelatores rogamus, ne notam perfidiæ alicuius incurratis, & in Domino IESV Christo exhortamur, & vos inuitamus, & quantum valemus præcipimus, vt singulis annis, sollempniter & deuotè hanc diem obitus B. Sturmis primi patris vestri, & Abbatis Ecclesiæ Fuldenfis, Domine vestræ in temporalibus, venerari, festiuare & celebrare non tardetis. Quin imò, primis Vesperis, Missæ sollempni, & aliis officiis diuinis sollempniter peragendis, ipso die obitus S. Sturmis, cum orationibus vestris, elemosynis, & aliis piis & misericordiæ operibus, intersitis. Et, vt eo feruentius & facilius inclinari ad colendum, celebrandum & festiuandum ipsum festum valeatis, quo vberioribus donis spiritualibus vos refectos conspexeritis, animare vos volentes, omnibus verè pœnitenti-

S. Sturmis no-  
uum præco-  
nium.

\* al. mendosè  
xvi. Kalend.  
Decembris.

Canoniza-  
tionis facta  
attestatio.

Ferias indicis  
& officium  
diocesani  
Buchoniæ.

veri  
tate  
fies.



Indulgentia  
Ioan. Episco-  
pi.

tentibus, qui hanc diem celebrare, festiuare & venerari studuerint, & sedulas orationes effundere, & largitiones pias facere curauerint, & diuinis officiis interfuerint, in remissionem omnium suorum peccatorum de Omnipotentis Dei misericordiâ, ac BB. Petri & Pauli Apostolorum, & SS. martyrum Kiliani & sociorum eius Ecclesie nostre Herbipolensis patronorum, suffragiis, in Domino confisi, quadraginta dies Indulgentiarum, de inunctis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxamus. Si quis verò hanc paginam violare præsumpserit, Omnipotentis Dei maledictionem, & BB. Kiliani & sociorum eius & nostram indignationem se nouerit incursum. In quorum omnium præmissorum robur, firmitatem & testimonium, hanc litteram nostri sigilli muniminis appensione iussimus communiri. Datum & actum in castro nostro montis Mariæ Virginis, Anno Domini millesimo, quadringentesimo, tricesimonono, die Dominicâ, quæ fuit penultima mensis Nouembris.

## C A P V T X.

S. Bonifacij Epistola, curam eius in Ecclesiam hanc  
& vicina loca testantes.

STVRMIONIS memoriâ, vt potuit in præfenti, ætatum & hominum iniuriâ litteris amissis & deperditis multis, illustratâ, obire iam ea monumenta fert animus, quæ licet hebetata vetustate, vitam omnem non retinent; eam tamen lucem monasterij siue crescentis amplitudini, siue famæ dignitatiq; crescentium cœnobarum, infundunt, vt magis, fuisse homines quibus ista benignè faciendi mens tam excelsa superesset, laudem habeat, quàm qui vt hîc piè viuendo munificentiam illam promerentur, admirationem. Et, quia longum hoc opus est, quod etiam proprium volumen desideret, equidem vestigia quædam modò præscæ beneficentiæ per transennam inspicenda nunc offero: nam, vt fundorum, vectigalium & omnigenæ copię liberalitatis instrumentum explicem, nec obrepens sensum ætatibus obliuio paritur, nec modus operis suscepti. Quamquam haud infructuosum aut iniucundum fors fuerit, si quæ spectatiota, aut famâ rerum vetustate labentium,  
aut